

et consummando illud, ac reddendo debitum, potest aliquis mereri, et juste operari, et tamen per illum actum omittit statum perfectionis, et consilii de servanda virginitate, aut ingrediendo religionem, cum dicat Apostolus i ad Corinth. vii: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit;* ergo potest virtuose operari in omittendo statum perfectonis, et consilii. Potest etiam in illa omissione peccare, si sine ullo motivo honesto id omittat ex levitate animi, aut otiositate, nullo fine adhibito, saltem ad experiendam libertatem, et ut ostendat se non esse obligatum, nam etiam hoc potest bonum esse in aliqua occasione, et tempore.

LXXII. Ultimo arguitur nullum exstat præceptum faciendi omnia opera nostra propter finem honestum; ergo non peccat si facit ac tum indifferentem ex objecto, et ex fine, ita quod etiam apponat finem indifferentem ipsi operationi, ut exercetur hic et nunc. Antecedens probatur; tum, quia non potest assignari, ubi sit tale præceptum referendi omnia in finem honestum, imo potius actus indifferentis est actus permisus a lege, ut docet S. Thomas infra quæst. xcii, art. ii. Ergo etiam actus ex fine indifferenti est permisus a lege, non enim est major ratio, quod indifferentia ex objecto sit permissa, et indifferentia ex fine non sit permitta, cum utraque sit proprie, et vere indifferentia. Si autem est permitta; ergo non prohibita; ergo non facit contra aliquam prohibitionem, qui operatur ex fine indifferenti; tum secundo, quia si datur tale præceptum, maxime debet esse naturale, quia scilicet homo utitur ratione, et tenetur in exercitio ordinare actus suos in bonum finem, sed hoc præceptum non datur de ipsa natura actus humani, quia ad operandum libere,

et deliberate, sufficit operari advertenter ex intentione finis a lege permissi, potest autem quis facere actus suos ex fine indifferenti, ut ire in campum propter ipsammet ambulationem, vel propter ludum, vel propter levans festucas, aut aliquid simile.

LXXIII. Quod si aliquis tenetur omnes actus suos dirigere in finem honestum de facto, et in exercitio, teneretur etiam operari advertenter tales actus, non enim est minus debita advertentia actibus nostris, quam directio in bonum. Nullus autem obligatur operari semper ex advertentia rationis, nam possumus plures motus facere ex sola imaginatione procedentes, ut concedit D. Thomas in hoc articulo nono. Ergo neque obligatur semper, et de facto dirigere actus suos in finem bonum, sed sufficit in indifferentem. Si autem dicatur ex præcepto positivo speciali ad id hominem teneri, oportet hoc præceptum ostendere, quod sane nimis rigorosum videtur, quod omnibus hominibus pro omni tempore vitae, et pro omnibus actionibus tale præceptum imponatur. Imo quasi continuo peccarent homines, saltem venialiter, cum continuo tales actiones occurrant, nec recordentur homines eas referre in bonum finem.

LXXIV. Confirmatur, quia bene potest quis velle uti opinione opposita tamquam probabili, quia revera sibi probabilis apparet, aut quia ignorat invincibiliter teneri illo præcepto apponendi finem honestum cuilibet actioni, quia probabile est non dari tale præceptum. Tunc ergo faciens actum indifferentem ex fine etiam indifferenti non peccabit, quia utitur probabili opinione; nec faciet actum bonum, quia est actus indifferentis, et ex fine indifferenti. Ergo saltem in aliquo casu poterit dari actus indifferentis in individuo. Et

idem erit in aliis casibus, quos supra posuimus referendo opinionem S. Bonaventurae, et aliorum.

LXXV. Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicitur tale præceptum esse naturale, constareque de illo, tum explicite in Scriptura, tum implicite in aliis præceptis ratione naturali cognitis. Explicitum quidem constat in Scriptura i ad Corinth. x: *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite;* ubi Apostolus primo locutus est de actibus indifferentibus, manducatis, bibitis: deinde universalizavit, et complexus est omnia dicens, sive quid aliud facitis. Ly autem in gloriam Dei dicit finem, eumque honestum, et bonum; nihil enim honestius, et melius quam in gloriam Dei operari. Denique ly facite non dicit solum consilium, sed præceptum. Quæ enim solum sunt de consilio, nusquam in Scriptura ponuntur modo imperativo, et per verbum facite, hoc enim simpliciter significat imperium, imo non aliunde colligimus proponi in Scriptura aliquid per modum præcepti, nisi ex verbo imperativo: Hoc vel illud facite, ut cum dicitur: *Quod superest date elemosynam,* inde colligitur elemosynam esse in præcepto; et cum dixit Christus: *Hoc facite in meam commemorationem,* præceptum posuit offerendi sacrificii. Cum autem aliquid solum consultur, non ponitur verbum imperativum, ut de virginibus dicit Apostolus: *Præceptum Domini non habeo consilium autem do:* et Matth. xix: *Qui potest capere capiat:* et iterum de pauperate, et abdicatione omnium Dominus in evangelio dicit: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus;* ubi non absolute præcipitur, sed sub conditione, si vis perfectus esse. Cum ergo hic absolute apponatur,

omnia in gloriam Dei facite, manifeste ponitur præceptum de adhibendo fine honesto, non autem solum indifferenti, finis enim indifferentis non est in gloriam Dei, sed in indifferentis ad illam.

LXXVI. Quod si instes: Nam etiam ad Colos. iv dicit Apostolus: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut opere, omnia in nomine Domini Iesu gratias agentes Deo, et Patri:* et tamen constat non dari præceptum faciendi omnia propter nomen Christi, quia non requiritur ad hoc ut opus sit bonum fides de Christo, quæ est supernaturalis relatio in finem, sed sufficit naturalis honestas: ergo nec in aliis verbis superioribus continetur præceptum referendi omnia in Deum, respondetur attendendam esse prudentiam Apostoli, qui in hoc secundo loco non posuit præceptum, sicut in primo, nec enim dixit: *Omne quodcumque facitis, omnia in nomine Christi facite, sed suspendit ly facite, quia suspendit a præcepto, relinquens hoc consilio, et arbitrio,* ut ex supernaturali fide Christi operamur: in primo vero loco non suspendit verbum facite sed apposuit.

LXXVII. Implicitum autem præceptum de adhibendo honesto fine continetur, tum in præcepto non faciendi actum otiosum, tum in præcepto diligendi Deum super omnia. Nam præceptum contra otiositatem, maxime respicit finem, ut videlicet non fiat aliiquid sine pia utilitate, vel justa necessitate, ubi necessario includitur, ne fiat aliiquid ex fine indifferenti, quia indifferentis neque habet justam necessitatem, neque piam utilitatem. In præcepto autem diligendi Deum super omnia includuntur quod habemus Deum pro fine ultimo in omnibus actionibus nostris, et tunc habemus illum pro fine, quando

volumus bonum honestum, non autem habendo finem indifferentem. Quod vero dicitur, actus indifferentes potius permitti a lege, quam prohiberi, dico permissionem illam legis solum cadere super actum ex parte objecti, quia ex illa parte non prohibet, nec præcipit actum; sed ex parte exercitii, et finis apponendi, lex non permisit, sed præcipit omnia in gloriam Dei faciamus, et prohibuit ne aliquid otiose faceremus, quia de verbo otioso reddituri sumus rationem.

LXXVIII. Ex quo patet ad secundam probationem. Dicimus enim hoc præceptum esse naturale, fundarique in ipsa natura hominis ratione utentis, qui tenetur omnes actus suos deliberatos ex justo fine facere, quia tenetur illos regulare, et mensurare regula convenienti, et justa; omni enim actui debita est rectitudo. Et hoc præceptum naturale promulgatum est in Scriptura, tum affirmative, quod omnia faciamus in gloriam Dei, tum negative, ne otiosum verbum faciamus.

LXXIX. Ad id vero quod additur, quod alias teneretur homo semper advertere, seu agere ex advertentia, negatur sequela, quia hoc non est in manu hominis, cum sæpe ratio præveniatur, aut oblio occupet, aut divertatur ad aliud sine culpa sua. Nec tenetur homo semper agere deliberate, sed si deliberate agat, tenetur adhibere bonum finem, vel actualiter, quia tenetur recta regula mensurare suas actiones, et hoc debetur illis, quatenus libere fiunt. Nec debet censeri rigidum hoc præceptum, quia non præcipitur ut actualiter omnes actus nostros referamus in Deum, sed sufficit quod virtualiter, idque impletur quando proponit homo operari ex fine honesto actiones suas, hæc enim relatio manet, quamdiu non retractatur. Hoc autem non est tam difficile,

sicut neque est rigidum præceptum declinandi a malo, et faciendi bonum, et diligendi Deum super omnia. Nec peccatur continuo ex hoc quod tale præceptum detur, quia multæ actiones, quæ videntur indifferentes revera non sunt, quia in recreationem honestam, aut commoditatem debitam referuntur aut virtualiter fuerunt relatæ, aliæ etiam non fiunt ex deliberatione, sed ex imaginatione, ut fricare barbam, levare festucam, et similia: multæ etiam actiones otiose fiunt, et sine debito fine, quas non est inconveniens inter peccata deputare.

LXXX. Ad confirmationem respondet aliquos ita sentire, quod in illo casu potest dari actus indifferentes in individuo, quia utendo probabili opinione potest quis excusari, ne fit peccatum, nec tamen ad hoc pervenit ut actus sit bonus, quia ex indifferentia est factus, ut præter Vazquez supra relatum docet Lorca hic disp. xxix, dub. ii. Sed tamen si hoc semel admittatur omnia replebimus actibus indifferentibus, et otiosis, quia potest quilibet dicere se uti opinione probabili Scotti, aut saltem intendere facere opus omni meliori modo, quo potest, et sic poterit multiplicare actus istos, et generare habitum indifferentem (quem etiam Scottus concedit distinctione illa xli.) Quis autem dubitet quod tanta consumptio temporis, et multiplicatio actuum indifferentium, otiositas sit. Nos ergo dicimus, opinionem Scotti esse probabilem speculative et disputative, practice autem et in individuo, seu in re non posse esse probabilem, quia seipsam destruit. Nam practice probabile est idem quod dictamen prudens. Qui ergo vult ut illa opinione Scotti, vel format dictamen prudens, vel imprudens circa efficientiam illius actus, inter hæc enim non datur medium, nec enim

DISPUTATIO IX. ARTICULUS VII.

datur dictamen indifferentes, id est, nec elicitum a prudentia, nec ab imprudentia, tale enim dictamen indifferentes non est dictamen practice probabile, sed indifferentes ad bonum, et malum, et sic non erit illa opinio præbabilis practice, quia non est prudens. Si dictamen est imprudens jam non est probabile, nec operatio inde procedens mala erit, quia a dictamine defectuoso procedit: si prudens, actio erit bona, quia conformatur dictamini prudenti; ergo non datur casus in quo illa opinio sit probabilis practice, et tamen actus maneat indifferentes.

LXXXI. Respondet Lorca hic disp. xxix, dubio ii, quod in re non datur medium inter judicium prudens, et non prudens; posse tamen contingere ut actus procedens a judicio prudenti non sit bonus, quia natura sua est malus, nec sit malus operanti, quia non imputatur, quia invincibiliter ignoratur necessarium esse operari semper bene, et non otiose.

LXXXII. Sed hæc solutio satisfacere non potest, quia actus procedens a judicio prudenti, et cum ignorantia invincibili operante, etiamsi alias objectum de se esset malum, tamen prout egreditur a judicio prudenti hie et nunc est bonus, ut patet in accessu Jacob ad Liam, qui ex natura sua erat malus, utpote accessus ad alienam, et tamen de facto fuit bonus, quia cum errore invincibili existimavit esse suam; ergo similiter si aliquis ex errore invincibili format judicium prudens, quod licitum est sic otiose operari, et quod non est malum, actus ille erit licitus, et bonus. Nec enim aliter formari potest dictamen prudens, nisi judicando hic et nunc hunc actum esse licitum. Si autem prudenter judicatur esse licitum operari indifferenter, hoc ipso non est indifferentes, quia indifferentes est

illud quod nec est licitum, nec illicitum, sed indifferentes ad utrumque; ergo est complicitorum dicere quod detur judicium prudens de actu indifferenti, quia hoc ipso quod est prudens, et prudenter judicat aliquid esse faciendum, judicat esse licitum. Si judicat esse licitum, jam non est indifferentes, quia non ex dictamine indifferenti, sed prudenti, atque adeo bono, et virtuoso. Et cum sit idem judicium prudens, et opinio illa est practice probabilis, se ipsam opinio practice probabilis dicendo quod destruit, quia hoc ipso non est de actu indifferenti, quia est de actus licto, indifferentes autem neque est licitum, neque illicitum, quia nec malum, nec bonum.

LXXXIII. Quare si opus indifferentes ex recta intentione fiat, hoc ipso redditur bonum quia intentio est bona, ergo et finis. Si autem non fiat ex recta intentione, ergo nec ex dictamine prudenti, quia dictamen prudentis est dictamen rectum, rectificatio autem prudentiae sumitur ex rectitudine intentionis, et finis. Prudens ergo dictamen, seu opinio probabilis practice excludit actum indifferentem, quia inducit rectam intentionem, et finem. Si autem ex recta intentione non fiat, prudenter non fit nec ex opinione probabili practice: si autem fiat ex ignorantia invincibili, non excusat, quia tenetur advertere.